

De passione iliaca disputatio medica inauguralis ...

Author/first author: Schaffer, Friedrich Wilhelm; Universität Altdorf
Publisher: Typis Joh. Henrici Schönnerstaedt,
Reference number: b30764968
Persistent URL: <https://wellcomelibrary.org/item/b30764968>
Catalogue record: https://search.wellcomelibrary.org/iii/encore/record/C__Rb3076496

This digital version has been supplied by the Wellcome Library under the following Conditions of Use:

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Library
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcome.ac.uk
<https://wellcomelibrary.org>

SUMMO ARCHIATRO PRÆSIDE

60

De

PASSIONE ILIACA

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

QUAM

DECRETO ET AUTHORITYTE

GRATIOSISSIMÆ

FACULTATIS MEDICÆ

IN

INCLUTA NORIBERGENSIUM ACADEMIA

ALTDORFINA

PRO

LICENTIA

SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES

ET PRIVILEGIA DOCTORALIA

rite & legitimè impetrandi

Publico Eruditorum Examine

loco horisq; consuetis

submittit

FRIDERICUS WILHELMUS SCHAFFERUS,

Einbeccâ-Brunfuicensis.

Ad diem 8. Octobr.

ANNO CHRISTI M.DC.LXXVII.

ALTDORFFI

Typis Joh. Henrici Schönnerstædt.

SERENISSIMO PRINCIP
AC DOMINO,
DOMINO
CHRISTIANO
ERNESTO,
MARGGRAVIO BRAN-
DENBURGENSI, MAGDEBUR-
GENSIUM, PRUSSORUM, STETINENSIVM
POMERANORUM, CASSUBIORUM ET VANDALORUM
UT ET IN SILESIA CROSSENSIVM AC JÆGERNDORFEN-
SIVM DUCI, BURGGRAVIO NORIBERGENSIVM, PRINCIP
HALBERSTADENSIVM, MINDENSIVM, ET CAMINENSIVM
S. CÆSARÆ MAIESTATIS EXERCITUS IN GERMANIA
PRO-DUCI, SACRIQUE ROMANI IMPERII GENE-
RALI VIGILIARUM PRÆFACTO, ET CHILI-
ARCHO EQUITUM;

PRINCIPI AC DOMINO SUO
CLEMENTISSIMO

Specimen hoc Inaugurale

In subjectissimi animi monumentum

D. D. D

SERENISSIMÆ SUÆ CELSITUDINIS
cliens humilimus

FRIDER. WILH. SCHAFFERUS.



Σὺν Θεῷ.

THES. I.



Affectus præternaturales, quibus partes corporis nostri alimentorum coctioni, chyli distributioni & fæcum exclusioni dicatas excruciarî earumque actiones proprias labefactari & everti contingit, quamplures sunt iiq̄ue graves admodum & formidabiles, inter quos tamen primum facile sibi vindicare potest locum Affectus ille propter Paroxysmorum dolorumq̄; sævitiam & propter admirandam illam ac perversam actionem præternaturalem, excrementorum scilicet per os rejectionem, stupendus & periculosissimus ILIACUS dictus, cujus naturam simul & curationem hac Disputatione Inaugurali, breviter saltem & summatim, cum accuratiorem & prolixiorem elaborationem penuria temporis aliaque fontica impedimenta non concesserint, investigare mecum constitui. Ut autem JEHOVA hisce meis conatibus felices successus clementissimè ex alto concedat, devotâ mente precor.

II. In naturâ *Iliacæ passionis* investigandâ ante omnia consideranda veniunt (I.) *Etymologia*. Nominatur sine discrimine *Affectus Iliacus* & ειλσδς *Dieterich: Jatr: n. 240.* vel à parte affectâ *intestino ileo*; vel à symptomate, σπὸ τῆ ειλσιν ver-tendo seu *volvendo*, quod in hoc malo intestina circum-plicari vel obvolvi videantur, *Gal. Lib. VI. de Loc. Aff. Cap. 2.*

III. Unde (2.) quoad *Synonymiam* dicitur *Volvulus* vel potius cum *Lindeno*, *Volvulus*, *Select. Med. Ex. IV. §. 5.* Non quidem, quod intestina ita convolvantur & contorqueantur in nodum, ut propterea excrementis ad inferiora negetur descensus; quod teste *Cl. Thom. Kerkringio Spicileg. Anatom. Obs. 42. Sylv. Prax. Med. Lib. I. Cap. 15. §. 21.* & aliis, nullâ ratione fieri posse vel tantillum in Anatomia versato statim apparebit: Intestina enim mesenterio ita alligata & illigata contemplabitur, ut vel hoc rumpi, vel illa ab eo dirumpi debeant; sed quod flatus huic morbo proprii, cum nec per superiora nec inferiora exitum inveniant, in se per angustos intestinorum anfractus & valvulas conniventes (quales in jejunio & colo invenit & hoc nomine indigitavit *laud. Kerkring. d. l. obs. 39.*) vertantur & revolvantur. Alii *Volvulum* dici volunt, quod qui ex dolore nimio arcuati convolutique plicentur. Nonnulli *Chordapsum* vocant, quum scilicet tumor aliquis eminent in tenuium intestinorum parte, ut videatur intestinum ad chordæ similitudinem convolutum. *Gal. d. l.* Vel quod Antiquiores Medici intestina *chordas* vocarint. Denique quoniam hoc morbi genus acutum tormentum est & propterea divinâ dignum commiseratione, inde sine dubio factum, ut quidam illud *Miserere mei* nuncupaverint.

IV. (3.) *Homonymiam* si consideramus, certò constat, antiquam Medicorum Scholam vocem *εἰλεός* in latiori quodammodo significatione usurpasse, ita quidem, ut isto vocabulo quosvis omnium intestinorum dolores denotarent, quæ latior vocis significatio ad plura secula obtinuit, donec tandem nova nomina diversis affectibus pro diversitate intestinorum imposita fuerint. Sic *Colicus dolor*, qui cum *Iliaca passione* sæpè confundi solet, tantum dolorem intestini crassi seu Coli; *Iliacus affectus* verò tenuis duntaxat intestini

stini Ilei scil. dolorem acutum denotat. In quâ significatione & ego accipiens ad *Definitionem* ipsam progredior.

V. *Passio Iliaca est dolor acerbissimus Intestini Ilei, cum motu ejusdem peristaltico vel impedito, vel perverso & depravato, constipatione alvi, tumore ventris chorda instar tensivo, aliisque prioribus symptomatibus, tandem etiam aliquando merda excretionem per os; proveniens ab inflammatione, vel aliâ etiam solutione continui dictæ partis vehementiori.* Quam *Definitionem* non ita pridem mihi aliisque meis commilitonibus suppeditavit in privato Collegio Practico *VIR Nob. Excell. atq; Experientissimus DN. JACOBUS PANCRATIUS BRUNO, Phil. & Med. Doctor inq; hâc Facultate Institutionum & Praxeos Professor Publicus longè celeberrimus & p. t. Decanus Spectatissimus, DN. Patronus & Promotor meus perpetuo cultu & filiali observantiâ etatem venerandus.*

VI. *Genus* quidem in hâc positum est *Dolor*, ceu urgentissimum symptoma, quamvis in ipsâ pertractatione nec non in curatione potius respiciatur ad ipsum morbum, solutionem continui urgentem cum intemperie graviori conjunctam, quam dolor sequitur ceu individuus comes; *Gal. Art. Med. c. 30.*

VII. Porrò cum à parte affectâ & denominationis & cognitionis & curationis morbi non ultima ratio desumatur, in aprico est, quanti referat, ut *Subjectum* alicujus affectûs probè cognitum habeatur: Idem in Iliacâ passione observandum. *Hippocrates* quidem per locum dolentem intestina crassa indicare videtur, quod in Hypochondriis dolor percipiatur, inde tamen non colligendum, ea semper & primariò hîc affici, cum non crassa tantum, verum etiam tenuia intestina hypochondria cum primis dextrum occupent. Imò cum intestina, affirmante *Nobil. Excell. & Experientissimo DN. MAURICIO HOFFMANNO, Archia-*

tro Electorali & Marchico-Brand. ut & Norimberg. Facultatis sua
Professore primario longè famigeratissimo, DN. Fautore & Pro-
motore meo observandissimo in suis Institutionibus Anatom. ni-
 hil aliud sint, quàm *ventriculus prolongatus* seu Corpus con-
 tinuum, hinc uno eorum læso vel obstructo, ut fit in Ileo,
 reliqua omnia unà cum ventriculo coafficiuntur.

VIII. Primarium itaque hujus Morbi *Subjectum* est *inte-*
stinum Ileum tenue & inter tenuia ultimum, omnium lon-
 gissimum, viginti unum palmas admodum æquans, in lati-
 tudine verò uni digito respondet, quapropter ceteris quoq;
 angustius est, unde evenit, ut citius & promptius, simul
 propter nimium venarum arteriarumque concursum in-
 flammationi & obstructioni subjiciatur. Multis quoque
 anfractibus ad longiorem cibi moram utilibus constat;
 subter umbilicum ad Ilia & coxas utrinque situm est, tan-
 demque in crassi intestini principio definit; consentienti-
 bus tam antiquioribus, quàm recentioribus Anatomicis ce-
 leberrimis.

IX. Cognito jam morbi Subjecto, statim progredior ad
Causas. Cùm autem circà uniuscujusque interni morbi
 generationem tres causarum Classes inquirendæ & confi-
 derandæ sint; scil. *Proxima, Antecedens & Externa* sive *Proca-*
zartica, igitur ut ordine procedam, *Causam Proximam* sta-
 tuo, quicquid solutionem continui ceu morbum, qui sub
 nomine symptomatico *Ilei* tacitè subintelligitur, inferre
 potest. Solvitur autem intestini continuum, dum vel di-
 stenditur, vel pungitur, vel gravatur, vel roditur, vel vellica-
 tur.

X. Hujus *Solutionis Continui Causa Proxima* primariò &
 potissimum quærenda & ponenda est in *Contentis*, imprimis
sanguine & humoribus ei permixtis, biliosis, pituitosis, sero-
 sis, salinis, hoc est sanguineo latice secundum quantita-
 tem

tem vel qualitatem ità peccante , ut prætern. collectus intra intestini hujus, utpote plurimis vasis sanguineis dotati (*suprà ib. 8.*) tunicas inflammationem exulcerationemque aut aliam gravissimam solutionem continui urgentem cum motu intestinorum perverso conjunctam inducere valeat. De hac causâ testantur plura Exempla apud *Forest. Lib. XXI. Obs. 17. & 18. Sylv. Lib. V. Cap. 15. §. 17.* ubi se intestini Ilei gangrænâ in demortui ab Ileo extincti dissectione invenisse scripsit, manifesto indicio, primum in vivo adfuisse inflammationem erysipelaceam. *Fabr. Hild. Cent. I. Obs. 6.* Ubi ex scirrho & gangrænâ Cœci intestini contracti & in Ileum sese insinuantis hoc inflammatum ob sanguinis scil. motum & recursum impeditum inventum est. Quod vero inflammatio unica & sola causa sit verè proprièque dicti Ilei, uti vult *Lind. Exerc. IV. §. 17. seqq.* illud præfractè defendere non ausim.

XI. Hinc secundariò & rarius causam proximam Ilei fieri quoque posse statuo vel *massam illam chyloso excrementicam* ex assumptis alimentis variis vitiosis collectam & diversimodè corruptam in nimiam & prætern. aciditatem, vel acrimoniam partibus nervosis, quales & intestinorum tunicæ sunt, inimicam. Huc pertinet *Obs. 16. & 19. d. l.* apud *Forest. & Zacut. Lib. 2. Prax. Admirabil. Obs. 27.* Vel *Flatus*, qui ex hujusmodi liquoribus partim ob assumptorum lentorem & vitiositatem, partim ob caloris vitalis & fermenti chylificantis imbecillitatem imperfectè coctis & crudis generantur, sicut elegantissimè flatuum in intestinis generationem *Speclatiss. DN. DECANUS Dogm. Part. II. Cap. 7. Dogm. 14.* Et *Linden. Ex. VI. §. 49. 50.* exposuère, quorum posterior etiam prolixius demonstrat, Ileum illum stranguriæ supervenientem, cujus meminit *Hippocrat. 6. Aph. 44.* generari à flatibus citrà inflammationem, præsertim his, quibus

bus spes est evadendi. Hanc causam quoque agnovit & observavit *Sylv. d. l. §. 18 Frid. Dekers ad P. Barbette Prax. Med. l. 4. c. 7. lit. d.* An verò non res quædam præternaturales v. g. *vermes*, præsertim teretes oblongi in intestino Ileo geniti & subsistentes aliquando morfu suo pungitivo maximèque dolorifico solutionem continui Iliacam gignere possint, licet verosimile valde videatur, certò determinare tamen nolo, cùm nondum peculiarem de hoc casu observationem apud Practicos legerim.

XII. *Causa Antecedens* est partim *dispositio vitiosa sanguinis* in copiâ vel peccante Cacochymiâ præsertim biliosâ & acris consistens, intemperiemque hujusmodi præternaturalem intestinis conferens, partim *fermenti in ventriculo vitiositas* assumpta alimenta non ritè chylificans; ut propterea crudior chylus ad intestina delatus facilè congeletur, lentore suo viscido subsistere cogatur & obstructionem pariat. Quæ ipsa quoque *Obstructio* ad causam antecedentem saltem pertinet, respectu solutionis continui, quæ demum à materia obstruente & subsistente dependet. Huc quoque meritò refero *Ætatem & Dispositionem hereditariam*, ceu attributa & conditiones humorum, spirituum & membrorum solidorum certas, quorum varietatem indicant, & proclivitatem aliquam ad hunc vel illum morbum ostendunt, ità docente *Speët. DN. Decano Dog. Gen. p. 210. seqq.* ità consuetum hunc affectum pueris, quos sæpe infestare solet, ex *Areteo Lib. II. de morb. Acut. Cap. 6.* notavit *B. Rolfink Lib. III. Meth. cogn. & curandi morb. partic. c. 14. & Linden d. l. §. 27.* quia scil. voraces sunt & multas cruditates colligunt obstructionibus ansam præbentes. Potest quoque huc referri *conformatio valvule intestini Coli* amplior vel strictior, quatenus sæpè promovere fæcum retentionem dixit idem *Rolfink d. l. Obesitatem* porrò, quam ad Ilei generationem

symbolam suam contulisse observavit *Linden. d. l. §. 28.* huc pertinere, nullum est dubium.

XIII. *Causa Remotiores* eæ sunt, quæ partim solutionem continui excitare, partim humorum illorum qualitate peccantium generationem cum per se, tum per accidens juvare & augere valent. Desumuntur autem vel à rebus *Non Naturalibus, Præternaturalibus & Transnaturalibus*, quas ultimas suo loco relinquo: ejusmodi enim Veneficia, Incantationes, Fascina aliique Diabolici insultus merè tales excedunt artis Medicæ limites juxtà *Excell. DN. Decan. Dogmata Part. II. Cap. 8. Dog. 12.* Inter *Res Non Naturales* se (1.) offert *Aër*, ubi quidem plerumque flatulentus & frigidus huic malo generando vel per se, vel per accidens favere dicitur, dum vel cruditates & flatulentiam promovet in abdomine, vel obstruendo poros cutis sanguinem ad effervescentiam irritare potest. Huc pertinent *Anni tempora*, ceu manifestam aëris mutationem inferentia *Hipp. 3. Aph. 22. Autumno* hunc affectum adjudicat; *Aëtius* verò magis *Æstate*, quàm Vere oriri docuit. Quod si *contagium* quoddam pestilens in Aëre fuerit, Iliacam passionem excitare posse Epidemicam omninò verosimile est.

XIV. Quod (2.) *Vitiøs ratio* vitiosa ad Iliacam passionem plurimum faciat, jam ex supra dictis *th 12.* satis constat. Inter Alimenta vero quædam sunt calida & sicca, salsa, aromatica, dulcia, pingua, hæc ad inflammationis generationem plus conferunt; quædam frigida, cruda, humida, lenta, terrestria, flatulenta, quæ ad obstructions & congelationes magis faciunt. Huc pertinet Atramentum sepiæ, de quo prolixè & eruditè differuit *Linden. Select. Med. Ex. V.* Imprimis largiorem nimis & inordinatam alimentorum ingestionem plurimum hic contribuere posse extrà dubium est. Videatur *Frid. Deker not. ad P. Barbett. Prax. d. l.*

XV. De (3.) *Motu & Quiete* (4.) *Somno & Vigiliis* nihil dicam, licet nolim negare, has quoque res non naturales, quamvis non solas vel sanguinis & humorum effervescentiam aut acrimoniam promovendo, aut cruditatum proventum juvando huc aliquid facere. *Album* (5.) si justo tempore non deponat excrementa, hujus affectus causam fieri procatartica, præter alia ille Sexagenarius ob inconfuetam fæcum retentionem Volvulo correptus satis confirmat, qui nullis juvantibus auxiliis 5. horis post vitam finivit. De quâ historiâ, cujus & ego nuper mentionem feci in *Exercit. de Consuetudine*, legatur *Zacut. Lusit. Prax. Admirabil. Lib. III. Obs. 101.* (6.) tandem *Affectus animi* vehementiores ad hanc rem non parum conferunt, imprimis Ira, tanquam affectus mixtus, qui partim sanguinis & spirituum nimiam colliquationem, & fusionem, partim subitam stagnationem & congelationem causatur.

XVI. Quod denique *Medicamenta* sinistrè usurpata, nec non *Operationes Chirurgicae* hujus mali generationem promovere aliquando queant, affirmare non dubito: cum illis enim eodem modo comparatum est, quomodo cum alimentis vitiosis, quæ itidem, dum nocent, vi medicamentosa incongruâ nocent; quâ de causâ & *Hipp.* Alimenta vocare non dubitavit *Medicamenta Tr. de Purgant. in Princ.* De his quis dubitet, cum in propatulo sit, quod v. g. in repositione herniæ intestinalis per fortiorem compressionem temerariam, aut convolutionem imprudentem facile anfa dari possit ad inflammationem & gangrænam illius partis, quam sequi solet *Ileos*.

XVII. Inter *Causas Remotiores præternaturales* sunt (1.) *Morbi*, (2.) *Venena*. Ad *Morbos* pertinet si intestina partesq; illis vicinæ, Peritonæum, Omentum, Mesenterium, Hepar &c. vulnere quodâ infestantur & exinde *Ileos* sequitur.

Hoc

Hoc modo Aristippus in ventrem sagittâ fauciatus accedente inflammatione Ileo correptus est, ut scribit *Hipp. Lib. 5. Epid. ferè sub finem.* Accidit insuper per frequenter, ut rupto peritonæo intestina in inguina vel in scrotum labantur, quæ nisi in locum reponantur, fæces retinentur: hinc primò putredo post inflammatio exoritur, à quâ dolores acerbissimi oriuntur & tandem, quod visu miserabile, excretio excrementorum per os sequitur *Forest. d. l. 21. Obs. 20. Sylv. Prax. Med. Lib. 1. Cap. 15. §. 22.* Idem quoque ex Herniâ umbilicali contingere posse testantur Observationes apud eundem *Forest. 21. & 22. d. l.* Stranguriam hujus mali causam quoque testatur *Hipp. VI. Aph. 44. Venena* corporis nostro inimica quàm facilimè intestina erodere & inflammare possunt, imprimis autem calida & acria; cujus generis sunt Arsenicum *Forest. d. l. Obs. 23.* Aconitum, Hydrargyrum, Fungi deleterii &c.

XVIII. *Differentia Doloris Iliaci* variæ existunt, tam ratione *Subjecti*, quàm ratione *causarum*. Sic ratione *Subjecti* alius est *essentialis*, qui immediatè à causâ Ileum intestinum afficiente provenit; alius *per consensum*; quando vel propter Cæci vel Coli morbum, vel propter herniam aut stranguriam præcedentem oritur. Quidam etiam *Legitimus*, ubi intestinum Ileum afficitur; Quidam *Spurius*, qui propter alterius intestini affectionem cum reliquis symptomatibus excitatur. Ita *Linden. Volvulum* alium *Iliacum*, alium *Colicum* vocavit *d. l. Exercit. IV. §. 8.* Ratione *Causarum* totuplex est, quot causæ. Sic Alius est à Rebus non naturalibus & Alius à Naturalibus *Vid. Barbette & Dekers ad illum d. l.* Ad *Differentiam à causis* quoque pertinet, dum alius *acutus*, qui gravissima conjuncta habet symptomata & celerimè properat, ob causæ, v.g. inflammationis, ulceris aut gangrænæ &c. vehementiâ; alius *chronicus*, ubi symptomata

sunt pauciora, ob causæ frigidioris conditionem mitiorem v. g. à fæcibus induratis, à flatibus.

XIX. *Signa sunt duplicia, Diagnostica & Prognostica; & illa iterum alia Demonstrativa, quæ & Pathognomonica dicuntur, alia Communia & in specie Diagnostica.* Quæ Iliacampassionem demonstrant, hinc inde à Practicis afferuntur quamplurima, quorum tamen potiora & scitu necessaria huc referre libet. Sic (1.) omnes Iliaci principio tardâ solent esse alvo, de quæ ejus adstrictione eos semper conqueri audimus & itâ quidem, ut magno quamvis conatu expellendi, parum tamen fæcum durarum plerumque excludant. Dein morbo vires acquirente alvus magis magisque constipatur & quidem in tantum, ut ne quidem flatui, ne dum fæcibus ibidem pateat exitus. Hoc brevissimis confirmat Galen. Comment. ad Hipp. VII. Aph. 10. inquit: *In Ileo nihil it deorsum, quod hujus affectûs etiam proprium est inseparabile.* Hippocrat. de Affect. in hæc verba prorumpit: *Cum Volvulus aliquem corripuerit, venter durus redditur nihilq; infra dimittit.*

XX. A tali verò alvi adstrictione fæcum flatuumque retentione (2.) mox flatus totam alvum perstrepentes sentiuntur, quibus cum exitus inferius sit denegatus & successu temporis magis magisque generentur, in intestinis magna turba flatuum coadervatur, adeò ut nullus Iliacus, qui à flatu liber sit, inveniatur, teste Experimentiâ. *Murmura* (3.) & *Rugitus* certissimi flatuum in corpore præsentium indices sese produnt. (4.) *Dolorem* valde peracutum & molestum in ventre infimo & magis regione superiorum intestinorum percipiunt, qui eosdem ita afficit & excruciat, ut ipsis plenus desperationis, quàm frequentissimè intolerabilis, evadat. Nonnulli enim, ut inquit Aretæ. Lib. II. de Curat. Acut. Cap. 6. desperatâ salute ægrotantes mortem evidentem tantum-

tantummodo formidant, aliqui verò in *Volvulo* ob cruciatibus acerbis mortem expetunt.

XXI. *Ructibus* (5.) & quidem inanibus nihilque proficientibus valdè sunt obnoxii, qui quamvis frequenter ægrotis sint molesti, dolorem tamen vix leniunt, multò minus tollunt. (6.) *Ventriculi dolorem* percipiunt. Præcipuè verò os ventriculi eò, quoniam exquisito pollet sensu, afficitur. Et quandoquidè *Ventriculus*, ob regurgitationem vitiosorum humorum propter vias obstructas multis humoribus iisque maximâ ex parte crudis abundare solet, igitur hanc humiditatem è vestigio sequitur, vel cum eâ conjuncta est (7.) *Nausea* cibi que tædium.

XXII. Hisce supervenire solent (8.) *Vomitibus* & quidem tales, qui non solum cibum & potum, humores ratione causarum diversissimos, pituitosos, ut notavit *Forest. Lib. XXI. Obs. 16.* biliosos, dictus *Aut. L. c. Obs. 18.* pituitosos & biliosos invicem mixtos *Obs. 21.* rejiciunt; Verùm etiam ipsum chylum & non rarò excrementa, imò aliquando Clysteres vomitu ab Iliacis redditos fuisse, refert *Solenander Cons. 16. Sect. 5.* nec non suppositoria, qualem casum valde mirabilem refert *Sennert. Med. Pract. Lib. 3. P. 3. s. 2. C. 1.* Quibus gravioribus symptomatibus (9.) adhuc mali ominis symptoma *Singultus* supervenire solet. De quibus posterioribus duobus hoc notari meretur, testante *Gal. Comment. ad Lib. VII. Aph. 10.* quod non semper & in omnibus Iliacis talis vomitus & singultus observentur, sed tùm demum, quando exitialis redditur.

XXIII. His annumerari possent adhuc plura symptomata Passionem Iliacam interdum concomitantia, v.g. *Inquietudo, Vigilia nimia, Tussis, Difficilis respiratio, Angustia precordiorum, Sitis, Febris, Animi deliquium &c.* Verùm cum partim non sint signa Pathognomonica, quæ sæpè sæpius cum

communibus confunduntur, partim ex relatione ægri & adstantium facilè innotescant, præsertim signa causarum, adeò ut Medico haud difficilis labor in eorundem acquirendâ cognitione sit, partim instituti mei ratio non permittat singula explicare, igitur hic agmen signorum Diagnosticatorum concludo. Videantur plura apud *Lind. d.l. §. si. seqq.*

XXIV. Cæterùm cum similitudines etiam eruditæ Medicis nonnunquam imponere possint, igitur affectus, qui cognationem cum Ileo obtinent, signorum beneficio ita discernimus: Et *Colicam* quidem ab *Iliacâ* passione, (1.) Ratione sitûs; sic intestinum Colon à dextro inguine incipiens assurgit circâ os Ilion moxque flexu sub jecore factò ad inguen sinistrum pergit, ubi sigmoideâ formâ inversâ devolvitur ad os sacrum, sicque revolutum in rectum intestinum desinit, unde in abdominis ambitu & circumferentiâ modo designata exortus dolor verè Colicus dicens. *Cl. Sylv. Lib. I. Prax. Med. Cap. 14. §. 11.* Ileon autem in hypochondrio sinistro emergens à centro Mesenterii magis magisque recedit eidem licet annexum, hinc inde in abdominis medietate & umbilicali regione penè coactum ibidem Iliacos sustinet dolores *Sylv. d.l. §. 12.* (2.) Ratione Symptomatum: Sic si vomitus superveniat, in Colico multò mitior est, intentior autem in Volvulo; ille absque, hic cum excrementis; ille adhuc aliquid per inferiora excernit; hic autem minimè. A *Nephritico* distinguitur, quod dolor immanior magis anteriorem ventris regionem infestet, nullas in urinâ arenulas ostendet magisque alvum adstrictam habeat.

XXV. Pergo ad *Prognostica*, quæ duplicia: alia *Salutis*, *Mortis* alia. Interim in genere notandum, omnem Ileum legitimum acutissimum periculi que plenum malum esse

juxtâ *Gal. Comment. in Lib. 6. Aph. 44.* An autem Iliacis aliqua spes salutis affulgeat, ex sedulâ collatione roboris naturæ cum morbi vehementiâ factâ cognoscitur. Sic si vires nondum planè succumbant & symptomata morbi decursu imminuantur, non desperandum. Eò verò gravior & periculosior erit, quò majora ei conjuncta fuerint symptomata. Rationem hujus Prognostici generalioris accuratam dedit suprâ laudatus D. N. D. MAURIC. HOFFMANNUS *Syn. Med. Disput. 13. th. 8. seqq.*

XXVI. Ad salutem vergit hic Morbus (1.) quando causæ inflammationis remediis cedunt, ventriculus Medicamenta & Alimenta admittit & retinet, atque hæc motu naturali ad intestina promoventur, sicque suum effectum præstant, hoc est, alvum iterum solvunt & humores exturbant. (2.) Urinæ profluvio solvitur & judicatur. *Quibus enim, ut inquit Hipp. VI. Aph. 44. ex stranguriâ volvulus succedit, intrâ diem septimum moriuntur, si non successerit Febris, aut urina copiosa non fluxerit.* (3.) Vermibus conglobatis, iis ablati tollitur. (4.) Pueri ob sanguinis robur & vitalitatem faciliùs evadunt. Senes difficillimè, aut nunquam convalescunt. (5.) Quando à fæcum aut flatuum detentione oritur, salutis spes major adhuc affulget.

XXVII. Ad mortem tendit hoc malum, (1.) Si secundum *Avicenn l. 3. fen. 16. Tract. 4. Cap. 29.* ipsæ fæces evomantur, vel (2.) Si sudor emanet fœtidus, *Idem d. l.* (3.) Si singultus, delirium & convulsiones sequantur, teste *Hipp. VI. Aph. 10. Ab illo vomitus, vel singultus, vel convulsio, vel delirium, malum.* Simile judicium tum de vomitu, tum de surditate ægris accedente refert modò adductus *Hipp. in Coac. Text. 470. Volvulosis vomitio & surditas malum.* (4.) *Areta. Lib II. Acut.* modum eventus his verbis docet: *Multi quidem vi torminum repente intereunt; alii intestinum suppurat & putrescit, putrefactum & nigrum ejicitur statimque deficiunt.*

XXIIX. Proximum nunc erit, ut ad *Curationem* ipsam progressum faciam. Omnis igitur *Curatio* suis indicationibus à remotione causarum desumptis nititur: Effectus enim non nisi sublatis causis tolli potest. Hæ ante omnia & quidem eo ordine, quo se invicem consequuntur, abigendæ, docente *Specul. DN. Decan. in suis Dogmat. Part. IV. Cap. 3. Dogmat. 1.* Quamvis vero secundum ordinariam medendi methodum eo ordine causæ removendæ sint, & symptomata, quatenus talia, per se nunquam aliquid indicent, ut habet modò laudatus *Aut. d. l. Cap. 4. Dog. 2.* sublatoque affectu seu morbo, à quo dependent, unà cum eo tollantur; quatenus tamen ex accidente causæ rationem præ se ferunt, morbum augent, viresque plurimum prosternunt, sui ablationem vel ad minimum mitigationem postulant, uti docet *Gal. Lib. XII. Meth. Med. Cap. 8.* inquit: *Si ex dolore vires resolvuntur atq; ex eo impendet, & mitigari dolor & roborari vires debent, quò & morbo resistere & curationis spatium sufficere valeant.*

XXIX. Cùm autem in hoc morbo *dolor* intestini Ilei sit vehementissimus, ægrorumque vires non absque præsentissimo vitæ periculo prosternat, igitur *curationem* nostram, ne ægri deficient, ab imminutione illius doloris inchoandam esse quivis facilè videt. Hoc autem præstant *Anodyna* dicta *Externa* & *Interna* cum *Emollientibus* coincidentia, utpote in portionibus humidioribus & facilè dissolubilibus consistentia; Inter *Externa* præsertim *Balneum* Aq. dulc. ex malvaceis dictis, & *Cataplasmata* aut *Linimenta* ex iisdem parata laudantur passim à Practicis. Inter *Interna* verò ab omnibus commendatur *Oleum Amygdalarum dulcium* & *juscula pingua*, quibus malvacea incocta fuerint; *Senn. d. l. & River. Lib. X. Prax. Med. Cap. 2.* Quod si adhibitis remediis spe nostrâ frustremur, ad *Narcotica* sive stupe-

stupefacientia fugiendum, quæ quidem in dolore à causa calidâ tutiora, in frigidâ verò cautius adhibenda: Suntque Opium & ex hoc parata composita, Laudanum, Requies Nicolai, Philonium Romanum, Nepenthes, quæ variis modis in usum veniunt. In genere tamen probè notandum, quod sola *Narcotica* absque corrigentibus & corroborantibus non sint exhibenda.

XXX. Sedato vel saltem lenito dolore, *indicationibus tribus* est prospiciendum (1.) ut continuatio *causæ instantis* & præsentis intemperatæ per denegatum *futura* provenitum prohibeatur per rerum, quibus carere comòdè possumus, remotionem; quibus verò carere non possumus, mutationem vel correctionem; & tandem sedulam prospectio- nem, ne denuò redeant res planè fortuitæ. (2.) ut *instans causa* intemperata ab afficiendo inhibeatur per Evacuatio- nem, Revulsionem, Attemperationem, Humectationem, Repulsionem, Interceptionem &c. (3.) Ut *presens* & actu secundo afficiens causa intemperata cohibeatur, per eas- dem modo dictas, imò & per Topicorum applicationem.

XXXI. *Materia remedium* ad has indicationes necessa- riorum desumuntur è *rebus non naturalibus Mitioribus, Valen- tioribus & Validissimis*, si ita mihi cum *Excellent. DN. D. MAU- RICIO HOFFMANNO* ex sua *Synopsi* loqui liceat, sive ex tri- plici præsidiorum officinâ, quarum *prima* offert *Diatam* congruam & quidem talem rerum sex non naturalium ne- cessariarum usum dextrum, qui illi, quem supra inter cau- sas procatarticas reposui, abusui adversetur.

XXXII. *Secunda* præbet *Medicamenta*. Sunt autem vel *Interna* vel *Externa*; Ex quibus hæc interdum magis, quàm illa, profunt, præsertim cum viæ ita sint occlusæ, ut nec fla- tus, nec fæces exitum habeant, imò nec acerrimi Clysteres, nec per superiora assumpti stimuli quicquam efficere vale-

ant. Si Iliacæ Passioni ab inflammatione facti succurrendum, procedendum erit eâ methodo, quæ convenit in reliquis inflammationibus, videlicet *Evacuantibus* & *Alterantibus* utendum. Cum verò Evacuantiâ fortiora minimè locum habere constet in inflammationibus internis cum febre acutâ conjunctis, præstat *laxantia* vel *lenitiva* aliquoties iterata sive per os, sive per injectionem ad intestinum rectum offerre. Ubi quidem *Clysteres* etiam paulo acriores, ut eò citiùs stimulent, applicare licet. Formula Ene-matis vel hæc vel similis esse poterit.

℞ Rad. Althææ, ℥j. Fol. Malv. Violaria. Branc. Urs. āā mj. Fl. Nymph. Rosar. Chamomill. āā p. j Sem. Cucurbit ℥iij Lini, Pyllyi āā ℥iβ Caricar. ping. No iij Prun. Damascen. No IV. Fol. Sen. Alex. ℥β. Mechoacann. alb. ℥iβ Coq. in Decoct. hord. simpl. q. l. Colaturæ expressæ ℥bj add. Elect. Diacathol. ℥j Diaphœnic. ℥iij Ol. Rosac. Violac. Anethin. āā ℥j F. Clyster.

XXXIII. Sunt, qui *Vomitória* etiam commendare non dubitant, ut nimirum in primis viis hærentes humores maturè per illa evacuentur. Enimverò cum in hoc affectu Iliaco Vomitus symptomaticus aliàs non sine vitæ periculo mox urgere soleat, mihi minus videtur consultum, offerre *Emetica*, nisi fortassis ab initio, inque certis casibus, si v. g. vomitus non adsit, aut si certò constiterit, ob venenum assumptum, aut largiorem crudiorum alimentorum ingestionem & ità auctam aliam super aliam cruditatem Ileum adesse, vel potiùs imminere, ubi quidem mitissima v. g. haustus aquæ tepidæ cum ol. violaceo offerri possunt, teste *Riverio d. l. quamvis* & Tartarum Mynsichti Emeticum ad duo vel tria grana exhibere liceret.

XXXIV. In aliis Ileii speciebus *Evacuantiâ per alvum* concedi quidem possunt paulò fortiora, à Mercurio tamen, Diagrydio, Gommi gotte & aliis deleteriis, abstinendum esse cenleo, cum vel vomitum moveant aliàs urgentem, vel inflammationem excitare valeant, vel nervosis partibus ob acrimoniam suam sint valde nociva. An & deglutiti globulorum plumbeorum inter evacuantiâ referri debet, quam *Helmont. tr. de Flatib. n. 31. Zacut. L. 2. Prax. admirab. Obs. 27.* ut & alii, ceu extremum & præstan-

præstantissimum remedium in Ileo ab obstructione intestinorum commendant ? Mihi videtur res adhuc valdè suspecta & temeraria.

XXXV. *Alterantia* Medicamenta etiam pro varietate causarum Ileii varianda sunt. Ubi inflammatio peccat, ibi *refrigerantia, humectantia, emollientia* in curatione aliarum quoque inflammationum commendata offerri & præscribi debent; Julapia, Emulsiones, Fomenta, Cataplasmata, Inunctiones. Ubi verò obstructio à materiâ crudâ, viscidâ, frigidâ, lentâ adest, ibi calidiora *Attenuantia, Deobstruentia Interna & Externa* ubique apud Practicos obvia adhibenda. Ubi de veneno assumpto certò constiterit, ut & de contagio Epidemico, tunc *Alexipharmacis* quoque utendum, puta Dialcordio, Theriacâ, Mithridatio, Lap. Bezoar, Spiritu & Sal. volatili C. C. aliisque Bezoarticis animalibus & mineralibus &c. Si ab Herniâ obortus fuerit Ileus, medicamenta ad curationem herniæ post repositionem intestinorum in pristinum locum chirurgicam dirigenda, quam proponere non est hujus loci.

XXXVI. *Tertia* & ultima præsidiorum officina monstrat *Operationes Chirurgicas* hoc in affectu necessarias. Inter quas primo loco se offert *Venæsectio*, quæ si affectus ab inflammatione oriatur, maximè locum habet. Per hanc enim dum sanguinis quantitas imminuitur, alimento suo inflammatio privatur; Deinde sanguinis & humorum ad partem affectam delabentium fit revulsio & interceptio. Accedit & aliud commodum, quod nempe subtracto sanguine simul calor immoderatus & febrilis contemperetur & imminuatur.

XXXVII. Quantum verò sanguinis detrahendum, docet quidem *Aret. L. II de Curat. Acut. c. 5.* Ita scribens: *Si morbi causam inflammationem esse invenerit (Medicus), venam in cubito magna sectione aperiat, quò multus subito sanguis inflammationis alimentum vel usq; ad animi deliquium effundatur.* Etenim hoc vel sedandi doloris vel stuporis ac sensus privationis initium est. Verum enim verò licet magnum in Ileo usum liberalior effusio sanguinis habere videatur, non temerè tamen ægris, imò vix sanis & robustis ad animi usque deliquium sanguis educendus: quippe si modum excedas, metus est, ne omnem calorem extinguas & ægrum vitæ periculo exponas.

XXXVIII. Qua propter in omni sanguinis missione ad materiam peccantem & vires corporis respiciendum esse judico: sicuti enim illa justam quantitatem, an multum vel parum? an una vel pluribus vicibus? an cum impetu vel pedetentim sanguinis massa evacuanda sit, determinat: Ita Ætas, Animi & Corporis constitutio, Consuetudo &c. de viribus judicium præbent. Si vires itaque unâ sectione tantam sanguinis detractionem, quantum morbus indicat, non admittant, ea per *ἐπιπέσειον* seu partitis vicibus, *Tralliano L. 10. c. ult. DN. Decano in Notis ad Jessen. p. 93. 94 & 262.* aliisque suadentibus, tutius & commodius institui potest. Ægri enim hanc non solum facilius ferunt, verum etiam humores mox affluxuri & jam influxi à parte inflammata magis revelluntur & derivantur.

XXXIX. Sin Vena secunda non fuerit, vicarias habemus *Hirudines*, quæ venis sedalibus seu hæmorrhoidalibus appositæ, non tantum revellunt, sed etiam ab ipsâ parte inflammata egregiè educunt, imò sanguinem pituitosum & terrestrem, qui sæpè causa est hujus mali evacuant. Nec non *Cucurbitulas* scarificatas in diversis corporis partibus & scapulis, dorso, lumbis & cruribus applicandas.

XL. Possem hîc quoque mentionem facere *Follis fabrilis*, quem ex *Hipp. l. 3. de morbis Practici* laudant in Ileo, à flatibus retentis exorto, nec non ab obstructione gravi & contumaci, teste *River. d. l.* Verum enim verò cum ejusdem usus per frequentatam experientiam hodieque non sit confirmatus, aut licet esset, potius ad Colicam flatulentam pertineret, quò etiam Practici referunt, neque etiam verosimile sit, ejus effectum ad Ileum intestinum pertingere posse absque periculo solutionis continui ob anfractus in Colo, & valvulam ejusdem, de quâ expressè scripsit *Barthol. Lib. 1. Anat. Cap. 10. Per rectum infusa aqua vel flatus in Ileon pertransire nequit, nisi violenter;* quare plura de hoc verba non facio, simulque hanc de Ileo brevem & summariam pro temporis ratione Dispositionem concludo. Tibi, Trinune DEUS, Archiater supreme Optime Maxime, sit Laus, Honor, Gloria & Gratiarum Actio in omne seculum!